



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii,
frequenter abest à choro?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

autem communioris sententiæ, est, quia distributiones non dantur propter mera præsentiam physicam, (aliàs etiam dormienti, ludenti, aut quodvis aliud in Choro agenti deberentur) sed iis tantùm assignantur, qui Choro assistunt assistentiâ, & præsentia morali, humana, & actiosa, vel saltem modesta, & devota, quæ aliquid conducatur ad honorem, & cultum divinum, ut colligitur ex *C. dolentes* cit.

297 Ad 3. Q. R. Canonicum, qui dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro, per se graviter delinquere, non immeritò sentiunt Suarez, Vasque Palao, Bonac. & alii, nisi ob parvitatem materiæ excusetur. Ratio est, tum quia iusta Fundatorum voluntas obligat ad frequentandum Chorum, in quem finem assignantur tam copiosi redditus. Tum quia sic imminuitur cultus divinus. Tum quia pro vacatione est certum tempus determinatum, & à Trident. quidem *Sess. 24. c. 12. de Ref.* tres menses in anno conceduntur, sive continui, sive interpolati: ergo ultra tempus Statutum non licebit abesse non tantùm à loco, sed neque à Choro, quia præsentia in loco exigitur propter præsentiam in Choro.

Tum denique quia non obscurè id colligi potest ex gravitate pœnarum, quæ in jure intentantur

non frequentantibus Chorum, videlicet Excommunicationis ferendæ, & depositionis, atque ita sæpius declarasse S. Congregationem, testatur Garcias *p. 3. c. 2. n. 323. de Benef.* Si tamen distributiones ejusmodi Canonici non recipiant, sed aliis spontè relinquunt, censent non nulli cum Cajetan. Barbof. Valent. Regin. contra citatos DD. eos non delinquere graviter, eâ ratione moti, quòd in Præbendato, seu Canonico duæ spectandæ sint obligationes; altera recitandi simpliciter divinum Officium; altera recitandi illud in Choro: propter priorem, ajunt, dari Canonico fructus Beneficii; propter posteriorem concedi distributiones; ergo si has non percipiant, quando absunt à Choro, non erunt gravioris culpæ arguendi; Quorum opinio sua non caret probabilitate, ut alibi insinuatum est in libello de Horis Canon.

Ad 4. Q. R. Præscindendo à 298 legitima locorum in contrarium consuetudine, posse talem Canonicum, qui ob corporis infirmitatem Choro assistere nequit, percipere, suas aliàs proprias distributiones, quamdiu durat illa infirmitas. Ratio responsionis elucet ex ipsa juris dispositione, præsertim ex *cap. 1. de Cleric. agror. cap. consuetudinem*, & *cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.* Ubi postquam sancitum fuisset, absentibus distribu-

tiones